

§. 5. Quærendus initio erit adversarius, utrum concedat, quod alter alteri verbis aliquid significare possit, ita ut alter alterum intelligat. Si hoc concedat, ita argumentari licet, vel simili modo: Quod intelligi debet, illud non potest simul affirmari & negari: quomodo enim intelligetur, si dicatur Socratem esse hominem & non esse hominem, neq; enim intelligo an sit homo, neq; an non sit homo: quando aliquid dicitur de aliquo, id intelligi debet juxta hypothesin. Ergo quando aliquid dicitur de aliquo, illud simul affirmari & negari non potest. Deinde necessum est, ut singula nomina in oratione unum significant, & non multa, alias non intelligetur oratio, quid enim intelliges, si dicam: Heri ursam vidi, nisi quid addatur.  $\pi\gamma\alpha\zeta\mu\eta\tau\iota\sigma\mu\alpha\iota\nu\epsilon\tau\iota$ , δέ, σημαίνει εστι. Affirmatio autem significant unum, negatio verò ejusdem significant diversum quid, nam idem quod affirmatio significant, non significabit negatio ejus. Illud itaq;, de quo affirmatio erit vera, non erit unum, si de eo negatio, quæ diversum significant, etiam verè dicetur. Nihil ergò significabitur, quia non significatur unum. Quod si nomine (vel oratione nominis loco positâ, perinde n. est) quo subjectum exprimitur, aliquid significetur, necessum est ut unum illud sit, quod significatur, Unde Impossibile erit, ut de eo idem simul verè negetur quod affirmatum est, & affirmetur, quod negatum est. Nam alias uti dictum est, non erit unum & per conseq. non significabitur. Ulterius quod necessum est esse, illud tunc, quando necessariò est, impossibile est simul non esse; quod voce verè significatur esse, id necessum est esse tunc, quando significatur esse, alias n. non cum veritate significabitur esse. E. id, quod voce verè significatur esse, illud impossibile est simul non es-